

ipsa decedencium vasallorum, que ab ecclesia Treverensi dependent, ad eorumdem prolem femineam nullomodo perveniant, ipsaque proles in eisdem nulla ratione succedat, nisi de privilegio ipsi ab archiepiscopo pro tempore rite concessio plene docuerit, tali videlicet, quod eidem proli feminee ad successionem huiusmodi legitime debeat suffragari.

*K 76 XXI¹: Item eidem archiepiscopo, suis successoribus et ecclesie Treverensi indulgemus et indultum per nostrum ac predecessorum nostrorum Romanorum imperatorum privilegia declaramus, quod quocienscumque aliquem * infra dominium vel palas * ecclesie Treverensis commorantem seu residentem feoda quecumque ab ecclesia Treverensi tenentem relictis liberis impuberibus feodorum huiusmodi capacibus decedere contingat, tutelam ac administracionem huiusmodi impuberum, quo ad feoda premissa, iidem archiepiscopus, sui successores et ecclesia possint et valeant sibi assumere et habere, si et in quantum eis hoc videbitur expedire, omnesque tutelam, testamentariam, legitimam et dativam, quo ad presens nostrum privilegium decernimus esse nullas ac viribus penitus vacuatas.

XVI. Verbot des Burgenbaus betr.

K 46 XVI: Item firmiter inhibemus *, ne quisquam aliqua tortalicia * castra vel opida in fundo Treverensis ecclesie vel aliarum ecclesiarum seu monasteriorum Treverensis civitatis et dyocesis vel in ipsius ecclesie Treverensis iurisdictionibus aut districtibus etiam ratione alicuius proprietatis, allodii aut feodi, advocatie seu alio quoquam pre-textu vel infra unam leucam a locis iurisdictionis aut districtus * pre-tacte ecclesie Treverensis, quam, quia alias ecclesias venerande senectutis prerogativa, ut et supra premittitur, precellit, decrevimus huiusmodi privilegio specialiter decorari, sine expresso consensu suo erigere, collocare, construere vel facere valeat seu audeat in futurum, et id ipsum nobis et nostris successoribus esse volumus interdictum; volentes, quod, si quisquam in hoc contraire presumpserit, quod * ultra penas infrascriptas per archiepiscopum et ecclesiam predictos suosque fautores sine iuris iniuria impugnari et edificium dirimi valeat et repelli.

L 32 XVI: Item firmiter inhibemus et iniungimus universis et singulis tam regni quam imperii fidelibus et sub-

1) Umstilisierung von § 4 der Einzelurkunde von 1354.